

iudicium edant, his nefas omninò & impium est, beatitudinem encomio nostrò post mortem adscribi. Idque manifesto Scripturæ exemplo, quæ de Judâ in præfenti notorioque peccatò vitam finiente: *abiit, inquit, in locum suum.* Act. I. 25.

§. XVII. Sed nondum cautelarum distinctionumque satis est, ut controversiæ status ritè constituatur. Cum alterum de alterò dicitur & prædicatur, nexus prædicati cum subjectò aut certus nullique dubitationi obnoxius est, aut credulitate tantum, probabilibus rationibus suffultâ, nititur. Cùm de Cajò, vicinò meò, prædico, bonum esse virum & pietati deditum, prædicatio est, non veritatis immotæ, cum in animum ipsius introspicere non possim, sed præsumptionis admodum probabilis, cum mihi videatur justè & humaniter erga quoscunque se gerere, & templorum indefessâ frequentatione animum pietati addictum omnibus demonstrare. Quo tamen non obstante falli possum & hypocritam boni piique viri axioma condecorare. At quando de Sempronio prædico, justum versus me esse virum, vel in me meosque beneficium, prædicatio est, non præsumptione nitens, sed veritate, cum indubitato mihi de illò constet, id quod meum est, mihi non tribuisse tantum, sed beneficiis quoque me & maximis & plurimis affecisse. Cùm de iis demortuis, quales superiore §. descripsimus, beatitudinem prædicamus, prædicatio nostra non omnimodæ certitudini innititur, sed præsumptioni probabili. Ut quemadmodum in civilibus quilibet præsumitur bonus, donec probetur contrarium: ita in sacris quodlibet Ecclesiæ nostræ membrum, eò modò se habens, quemadmodum superius descriptum est, præsumitur beatâ morte obiisse, consequenter beatum prædicandum esse, donec de contrariò ex certioribus indiciis constet.

§. XIX. Denique & hoc adjiciendum est, hujus ipsius præsumptionis certos dari gradus, ut unum probabilius sit alterò, & vel majori præsumptione nitatur, vel minori. Quis enim dubitet, de unò moriente plures habere nos causas credendi, quod in Dominò sit mortuus, quàm in alterò? Probabilissimè id creditur de eò, qui totò vitæ suæ tempore pietati, quantum nobis & universæ Ecclesiæ constitit, etiam in ipsò lethali lectò, deditus fuit: quantumlibet nec hic certitudo sit infallibilis, cum omnis homo sit mendax, Ps. CXVI. II. ad extremum usque vitæ halitum, nec quisquam nisi Deus interiora introspicere & cor penetrare possit, Jerem. XVII. 9. 10. Alius probabilitatis gradus est, quando quis, si non in summo pietatis gradu vixerit, à peccatis tamen gravioribus abstinuit